



Joh. Frid. Jüttner.  
Halle 1850.

Af. 136

Gaffor

M. C. v. L

— OT

Zn Schäffer  
verle

20

DISQVISITIO  
DE  
**E X E M P L I S**  
IN  
**O R A T I O N E,**

QVAM  
AVXILIANTE DEO  
BENEVOLO INCLYTI ORDINIS PHILOSOPHICI  
IN ILLVSTRI  
**A C A D E M I A I V L I A C A R O L I N A**  
CONSENSV,

D. XXII APRILIS MDCCXLVIL  
IN IVLEO MAIORI  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

P R A E S E S

**M. FRID. ANDR. WALHERVS**

MOENO-FRANCOFVRTANVS

RESPONDENTE

**CAROLO GOTTHARDO BERNEWITZ**  
CVRONO  
S. S. THEOL. CVLT.

---

HELMSTADII TYPIS DRIMBORNIANIS.

D 180 5121 110  
21  
ГІДРІЧНІ  
ОЯОІТАНІ

МАГІСТРАЛІ  
ВАЛІДНАЛІ ПЕД  
РЕНДУЮДО НІГІЛІ ОІ ДІМІІ ТІНІ ДЕЗОНІ

АКІДІЛІМІЛІАЛІ  
СІДІЛІМІЛІАЛІ

Д 180 5121 110  
Д 180 5121 110  
Д 180 5121 110

Д 180 5121 110  
Д 180 5121 110  
Д 180 5121 110

Д 180 5121 110  
Д 180 5121 110  
Д 180 5121 110

Д 180 5121 110  
Д 180 5121 110  
Д 180 5121 110

Д 180 5121 110  
Д 180 5121 110  
Д 180 5121 110

Д 180 5121 110

VIRO ILLVSTRISSIMO  
ATQVE  
GENEROSSISSIMO  
**IOANNI IACOBO**  
**DE WIEGER**  
SERENISSIMI PRINCIPIS HASSO-  
DARMSTATINI  
**CONSILIARIO INTIMO**  
REL.  
**MAECENATI AC DOMINO SVO**  
AETERNA PIETATE DEVENERANDO  
**BREVEM HANCCE DISQVISITIONEM**  
EA, QVA PAR EST, ANIMI  
DEMISSIONE  
D. D. D.  
AVCTOR.

VIR ILLVSTRISSIME  
MAECENAS GRATIOSISSIME.

lurimi sane, nec iniuria, fateor,  
exigui buius libelli academici  
temeritatem vituperandam ef-  
se censem, dum ipsius capi-  
ti splendidum TVVM nomen inscriptum  
animadverterint, munusculum hocce le-  
vidense non satis dignum, quod offera-  
tur tanto Viro, iudicantes. Tot autem  
tantaque TVAE in me meosque ex-  
stant

stant benevolentiae signa, ut, qua ratione pietatem in referenda gratia TIBI satis probem plane non videam, ac primam qualemcumque datam occasionem amplecti, meum esse censem. Tam admirabilis, VIR ILLVSTRISSIME, in TE est optimarum artium scientia, ut omnes illos, qui semet litteris tradiderunt in TVI venerationem rapias. Doctrinae TIBI & eruditionis incrementum ita semper curae fuit, ut Musae laboribus TVIS maxima semet debere fateantur. Tantum denique TIBI est gratiae, ut illorum conatus, quos sapientia rerumque cognitione longe quidem antecedis, tamen non male accipias aut despicias. Ego itaque, eximia TVA & plane singulari humanitate fretus, schendas basce parvas, TIBI, VIR ILLVSTRIS-

STRISSIME, consecrare, meque totum  
meaque studia TIBI demisse commen-  
dare non dubitavi.

S V M M V M I L L V D N V M E N *supplex*  
veneror, ut TE, MAECENAS OPTIME,  
in salutem splendidissimae TVAE Familiæ,  
Hassorum gentis & orbis erudit*i*,  
nec minus in solatium omnium proboru*m*,  
inoffensa diu valetudine vivere  
omniq*ue* felicitatis genere florere iu-  
beat. *Hoc ex animo precatur*

VIR ILLVSTRISSIME  
MAECENAS GRATIOSISSIME !  
ILLVSTRISSIMI NOMINIS  
T VI

In Academia Iulia Carolina  
d. XXI. Apr. MDCCXLVII.

Celator humillimus  
F. A. WALTHERVS.



## PRAEFATIO.

**N**on potui intermittere, *Lector bene-*  
*vole*, quin paucis *Tē* in limine sta-  
*tim* disquisitionis huius academicae  
compellem, rationem quae me impe-  
dit, quo minus longior fuerim, expositurus.  
Amplissimum enim mihi campum patuisse, in quem  
excurrere potuissim, neminem fugit, qui doctrinam  
de *Exemplis* suo vtcumque informavit animo. Nos  
vero levi huius rei capita penicillo describere po-  
tuimus. Angustia temporis, de hac re copiose dis-  
seren-

serendi, consilium effectit irritum. Posteaquam quo-  
usque in illustri hac Musarum sede commorari  
per initas vitae meae mihi liceret rationes, haec tenus  
ignorassem : re tandem satis diu multumque delibe-  
rata, scholam aperire & Philosophorum pracepta  
cum aliis discendi cupidis Bono cum D E O commu-  
nicare mecum constitui. Id vero cum nulli sapien-  
tissimae academie huius leges prius concedant, quam  
doctrinae suae specimen quoddam publico eruditio-  
rum examini oblatum sistat : obsequium eruditionis  
gloriae praeferre volui. Quidquid ergo ob arcti-  
fimos, quibus circumscriptus eram, temporis limi-  
tes hisce deest pagellis, illud vero fore, vti Tua re-  
fasciatur benevolentia, confido. Tu quidem L. B. Tu  
ostendas, oro quaesoque, exemplo, quantum huma-  
nitate aliorum humana mens ad maiora semper, &  
utiliora suscipienda incitetur. Vale, nostrisque co-  
natibus, quod facis libenter, faue. DABAM IN  
ALMA IULIA CAROLINA a. d. XXI. Aprilis,  
A. O. R. S. CCCCCXXXVII.



DISQVISITIO  
DE  
EXEMPLIS IN ORATIONE.

§. I,

NOTA CHARACTERISTICA dicitur id, ex quo  
res cognoscitur, & a reliquis distinguitur.

e. g. Rugitus est nota characteristica Leonis : ex rugitu  
enim cognoscitur leo & a reliquis bestiis distinguitur.

§. II.

Si eadem sunt rerum notae characteristicae;  
tunc oritur SIMILITUDO.\*

\* Fluiditas est nota characteristica aquae : plumbi liquefacti quoque nota characteristica est fluiditas : E. cum eadem sint notae characteristicae : aquae similitudo est cum plumbo liquefacto.

§. III.

COMPARATUM est allegata res, cui cum materia, de qua agimus, vel de qua loquimur, similitudo est.

e. g. apud XENOPHONT. in memor. SOCR. L. III. legimus comparatum : Πολὺ διαφέρει στράτευμα τεταγμένου ἀτάκτου, ὃπερ ἀλιθοί τε, καὶ πλέον, καὶ δύλα, καὶ πέραμος, ἀτάκτου μὲν καὶ ἐπιπλόης τὸ μῆτρες στρόμενον, μήτε τηρόμενον, ὅτε θάρσοι, καὶ ὁ πέραμος, ἐν μέσῳ δὲ ὑπέρ πλάθοι, καὶ τὸ δύλα, ὃσπερ ἐν ὀικοδομίᾳ συντίθεται, τότε γίγνεται πολλοῦ ἀξιόν. καὶ μάκρα.

B

οὐδείς.

*Inde. Multo differt exercitus ordinatus ab inordinato : quem ad modum lapides & lateres & ligna & tegulae, si confusa disiecta sunt, ad nihil sunt utilia : postquam autem ordinantur, in imo ac summo ea, quae neque pretiosae sunt, neque liquescunt, ut sunt lapides ac tegulae, in medio vero lateres & ligna, sicut in aedium structura componuntur, tunc efficitur res magni pretii, domus.*

#### §. IV.

*Si illa res allegata, cui est similitudo cum materia, de qua agimus, est actio \* vel factum, \*\* tunc comparatum dicitur EXEMPLUM.*

\* CICERO orat p. L. Man. Pompeii virtutem probatorem, sequentia profert exempla : *Tessis est Italia, quam ille ipse vicer L. Sylla huius virtute & subsidio confessus est liberatam: tessis est Sicilia, quam multis undique circumferentiam periculis non terrere belti, sed celeritate consilite explicauit: tessis est Africa, quae magnis oppresso hostium copiis, eorum ipsorum sanguine redundauit. cet.*

\*\* v. CIC. in Catil. IV. Latius opinione disseminatum est hoc malum: manavit non solum per Italiam, verum etiam transcedit Alpes, & obscure serpens multas iam provincias occupauit.

#### §. V.

*Ex illo, quod §. III, IV. dictum est, patet, Comparata & exempla inter se differre sicut genus & species: ita, vt quodvis exemplum sit comparatum, sed non omne comparatum quoque exemplum.*

Not. Itaque locus modo allegatus ex CIC. p. L. Man. vel ille in Catil. IV. est exemplum & simul comparatum. Sed locus XENOPHONTIS §. 3. est comparatum, neutrum vero exemplum.

#### §. VI.

*Exempla habent similitudinem cum substrata materia: ideoque evidenter reddunt illam materiam. \**

Not.

Not. hinc venit illa loquendi formula; *Ein Exempel wird die Sache deutlich machen.*

\* e. g. c. i. c. in Or. pro Arch. P. in fine, *An, cum statuas, inquit, & imagines, non animorum simulacra, sed corporum, studiose multi summi homines reliquerunt. Consiliorum relinquere ac virtutum nostrarum effigiem nonne multo malle debemus, summis ingenii expressam & politam?*

### §. VII.

**ILLVSTRATIONES** sunt orationis ornamenta quae faciunt ad evidentiam alicuius propositionis.

### §. VIII.

Diximus exempla evidentiorem reddere propositionem. Iam vero cum illa, quae faciunt ad evidentiam propositionis, sint illustrations, sequitur **EXEMPLA QVOQVE ESSE ILLVSTRATIONES.**

### §. IX.

**POSSIBILE** est illud, quod nullam involuit contradictionem.

e. g. *Possibile est, vt Titius fiat aliquando vir eruditus.*  
*Illud enim nullam involuit contradictionem.*

### §. X.

**Illud, quod actu est, non potest inuoluere contradictionem.**

*ab esse ad posse valet consequentia.*  
e. g. *Caius mortuus est, E. mori potuit.*

### §. XI.

*Qui itaque probat, aliquid fuisse actu, ille simul probat, quod non inuoluerit contradictionem, vel quod fuerit possibile.*

B 2

§. XII.

## §. XII.

*Ergo* qui exemplum fide dignum profert, probat aliquid fuisse possibile, s. nullam inuoluisse contradictionem.

## §. XIII.

*Quod* positis his vel illis circumstantiis hoc tempore est possibile, illud alio tempore, positis iisdem circumstantiis, quoque est possibile. \*

\* e. g. pluit nunc, & vt alio quoque tempore pluat, facilime fieri potest, si nimirum sufficiens adlit humorum copia.

## §. XIV.

*Ergo*, qui adductis exemplis probat, aliquid sub certis circumstantiis fuisse possibile, ille simul probat, illud positis iisdem circumstantiis adhuc esse possibile.

e. g. DEMOSTHENES orat. II. dum profert exemplum Philippum Thessaliam verba dedisse, eo ipso probat, Philippum fallere posse adhuc, quia nempe idem Philippus est.

## §. XV.

*Exempla itaque sunt PROBATIONES POSSIBILITATIS.*

## §. XVI.

*Orator ad sensum auditorum adspirat.*

## §. XVII.

*Ad sensus est iudicium de veritate assertorum alterius.* Cum igitur non possim iudicare nisi mihi sit

sit idea clara rei, de qua iudicare volo: sequitur,  
neminem posse vere adsentiri, sine ideis claris de  
materia substrata, & *ideas obscuras de eo, quod dicatur, impidere, quominus adsentiat auditor oratori.*

### §. XVIII.

*Cum itaque orator adsensum auditorum pro scopo habeat: sequitur, eum illud praecipue moliri, ut remoneat ea, quae adsensum prohibent.*

### §. XIX.

*E. & notiones obscuras auditorum: impeditunt enim illae adsensum auditoris.*

### §. XX.

*Notiones obscurae auditorum remouentur illustrationibus, quae sunt talia orationis ornamenta, quae faciunt ad euidentiam propositionis.*

### §. XXI.

Iam vero, cum exempla sint illustrations, ut ex §. VIII. patet: sequitur, *oratorem uti exemplis in oratione.*

### §. XXII.

*Orator auditorem de veritate alicuius conuincere studet propositionis.*

### §. XXIII.

*Ante omnia saepe ipsi probandum est, illud, quod propositione continetur, esse possibile.*

e. g. Orator clericus vult probare, pie sancteque esse vendum. Demonstrandum ergo ipsi ante omnia erit, quod pie sancteque viuere possimus.

### §. XXIV.

Cum igitur exempla sint probationes possibilatatis: rursus liquet oratorem adhibere exempla in oratione.

\* Itaque exemplis Davidis, Iosephi, aliorumque probari potest, quod pie sancteque viuere possimus.

### §. XXV.

*Hac tenus de necessitate exemplorum in oratione egimus. Videamus nunc etiam qualia esse debeant exempla, si eorum usu ad scopum i. e. adsensum pertingere vult orator. Illis adsensus promoueri & prohiberi potest. Acrem itaque curam & diligentiam ipsorum requirit electio.*

### §. XXVI.

Experientia satis nos edocet, omnes noua audiendi esse cupidos, nouaque longe maius habere pondus, quam antiqua. Hac nouarum rerum cupiditate utitur orator ad consequendum finem & quantum fieri potest, NOVA PROFERT EXEMPLA, i. e. TALIA, quae non ab omnibus & semper proferri solent.

Not. patet itaque, nos hic non per exempla noua intelligere facta, quae modo acciderunt, sed talia, quae non lippis & tonsoribus quibuscumque sunt nota atque perfrita. Possunt enim alioquin esse facta antiquissima.

### §. XXVII.

## §. XXVII.

Exemplo interdum probari debet possibilitas aliquius rei. Re dubia vero nihil probari potest. E. exemplo dubio non potest probari possibilitas aliquius rei. SINT E. EXEMPLA, quatenus sunt probationes, INDUBIA, vel quod idem est, non sit in dubio, num vere acciderint.

\* Vitium e. g. committeret, qui diceret, fortissimi viri saepe ignobili morte moriuntur. Taliis est celebris ille Rolandus, qui praeclito cum Hunnis commisso, in montibus Pyrenaeis sibi consumptus est. Dubium enim est, num tota historia Rolandi sit vera, nec ne,

## §. XXVIII.

Exempla debent esse illustrations: sunt vero illustrationes ob similitudinem suam cum materia substrata. Quo minor iraque est in exemplis similitudo cum materia substrata, eo minus illustrant. Ex his oritur Reg. III. SIMILITVDO EXEMPLORVM NON SIT PROCVL REMOTA.

e. g. Peccaret in hanc Reg. qui diceret, sicuti Iul. Caesar bellica virtute magnam sibi comparavit nominis celebritatem: ita Sempronius muscipulator ingeniosa murium capture magnam sibi laudem conciliavit.

## §. XXIX.

Orator assensum auditorum adspirat: ad consequendum assensum requiritur, ut attenti sint auditores: attentio excitatur, si proponimus auditorum oculis rem tamquam magnam & grauem. Cum igitur notabilibus exemplis res ipsa, quae exemplis illustratur, tamquam notabilis auditorum oculis

lis proponatur: sequitur EXEMPLA DEBERE ES-  
SE MAGNI MOMENTI \*

e. g. Ita. OVIDIUS, perturbationem familiae suaee cum  
dicederet, descripturus, magno vtitur exemplo.

*Si licet exemplis in parvo grandibus vti,  
Haec facies Troiae, cum caperetur, erat.*

OVID. TRIST. L. I. EL. III.

& alibi :

*Diuidor haud alter, quam si mea membra relinquam,  
Et pars abrumpi corpore via suo est.*

*Sic Priamus doluit, tunc, cum in contraria versus  
Vltores habuit proditionis equus.*

\* etiam hoc modo forte probari potest haec regula ; Ex-  
empla sunt probations possibilatis: quae in magnis  
sunt possibili multo magis sunt possibilia in parvis: si ita-  
que prolati exemplis probo, aliquid in magnis rebus  
factum esse; eo evidenter illud in minoribus quoque fie-  
ri posse, probatum est.

### §. XXX.

*At haec, quae modo dicta sunt, non ita intelli-  
gantur, quod etiam in minimis & plane contemnen-  
dis rebus adhibenda sint magna exempla. Hoc  
enim ridiculum esset. MARTIALIS profert tale exem-  
plum Epigramm. L. VI. IN POSTVMVM.*

*Non de vi, neque caede, nec veneno,  
Sed lis est mibi de tribus capellis;  
Vicini queror has abesse furto:  
Hoc index sibi postulat probari.  
Tu, Cannas, Mithridaticumque bellum,  
Et perjuria Punici furoris,  
Et Sullas, Mariosque, Muciosque  
Magna voce sonas, manuque tota.  
Iam dic, Postume, de tribus capellis.*

### §. XXXI.

## §. XXXI.

Orator interdum vult commouere auditorum voluntatem, ad hoc vel illud faciendum: exempla, quae a maioribus auditorum desumuntur, maius habent pondus, quam alia, ita, ut nemo facile maioribus & parentibus virtute velit esse inferior. Utitur itaque orator, si fieri potest, hoc animorum habitu atque instinctu, & TALIA IN MEDIUM PROFERT EXEMPLA, QVAE AD AUDITORES PERTINENT. \*

\* CICERO hinc Consulares Romanos ad puniendum Catilinam impulsurus, sequentem in modum loquitur in Orat. Catil I. An vero vir amplissimus P. Scipio, Pontifex Max. Tib. Gracchum, mediocriter labefactantem flatum Reip. priuatus interfecit; Catilinam orbem terrae caede atque incendiis vastare cupientem nos Consules perfervimus? Nam illa nimis antiqua praetereo, quod Q. Servilius Ahala Sp. Melium nouis rebus studentem manu sua occidit. FVIT, FVIT iusta quondam in hac Rep. virtus, ut viri fortes acrioribus suppliciis ciuem perniciosum, quam acerbissimum hostem coercent.

& pro L. Man.

Maiores vestri saepe, mercatoribus ac nauiculatoribus iniuriosus tractatis, bella gesserunt: vos tot ciuium Rom. milibus, uno nuntio atque uno tempore nucatis, quo tandem animo esse debetis? Legati, quod erant appellati superbius, Corinthum patres vestri, totius Graeciae lumen extinctum esse voluerunt: vos eum regem inultum esse patiemini, qui Legatum populi Rom. Consularem vinculis ac verberibus atque omni supplicio exruciatum necauit?

## C

## §. XXXII.

## §. XXXII.

*Exemplum proprietatibus hucusque enarratis ornatum, vel quod est 1) nouum, 2) indubium, 3) cuius similitudo non est procul remota 4) quod est magni momenti, 5) quodque, si fieri potest, ad auditores pertinet, illud scopo oratoris est congruens, vel, quod idem est, ad sensum parere potest.*

## §. XXXIII.

*Exemplum autem, quod scopo oratoris est congruens, nomino EXEMPLVM PVLGRVM.*

## §. XXXIV.

*Orator itaque pulcris in oratione vtitur exemplis.*

## §. XXXV.

*Postquam igitur & egimus de natura exemplorum, & commonstrauimus, qualia ad assendum ad sensum esse debeant; progredimur nunc ad III. Dissertationis momentum, & breuiter dicemus, quid in usu exemplorum sit obseruandum.*

## §. XXXVI.

*Facile perfectu est, auditores nimia exemplorum copia ita posse obrui & confundi, ut capita orationis prorsus obliniscantur; cum omnes propemodum, praesertim vulgus magis historiarum & narrationum, quam feriarum rerum studio trahantur.*

## §. XXXVII.

*Idiotarum est, loco rerum grauium & ad scopum*

pum pertinentium, magnam colligere exemplorum & eiusmodi orationis ornamentorum copiam, ut, etiam si ipsis deest eruditio & experientia, tamen aliquid garrire queant. Omnes itaque illi, qui tantam exemplorum multitudinem in oratione proponunt, sibi ipsi creant nomen nugatorum, *siuamque minunt existimationem.*

### §. XXXIIX.

Cum autem ideae obscurae de eo, quod dicitur, & mala de oratore opinio ad sensum auditoris prohibeant; sequitur, *nimiam exemplorum multitudinem, quae ambo haec mala producit, ad sensum impedire.*

### §. XXXIX.

*Orator itaque, qui ad sensum auditorum pro scopo habet, in usu exemplorum modum non excedit, & tantum exempla proponit, ubi necessario requiruntur.*

### §. XL.

Exempla sunt illustrationes & probationes possibilitatis. *Vbi E. non requiritur illustratio & probatio possibilitatis, ibi nec opus est exemplo.* \*

\* e. g. *Homines moriuntur.* Haec propositio nulla eget illustratione vel probatione possibilitatis. Cuilibet enim notum est, quid sit mori, nec quisquam dubitat, an fieri possit, ut homo moriatur.

### §. XLI.

Exempla sunt illustrationes: illustrant vero poster

pter similitudinem suam cum materia substrata. Dantur autem circumstantiae in aliquo facto, quae nullam habent similitudinem cum mat. substr. ideoque non faciunt ad illustrationem; non pertinent itaque ad exemplum qua exemplum. Hinc sequitur illa Reg. In exemplo remouenda sunt, quantum fieri potest, \* ea, quae cum substr. mat. nullam habent similitudinem. \*\*

\* Addendae sunt nempe interdum circumstantiae quae-dam, quae tantum ad illustrationem facti, quod exempli loco ponitur, faciunt, etiam si mat. substr. ipsam non illustrent.

\*\* e. g. errares, si dices: *Ad consequendam victoriam non necessario arma requiruntur. Et inermes saepius armatos vicerunt. Tesis est ille Dioxyppus, qui praefente Alexandre correpta clava, militem armatum ex Macedonibus ad certamen prouocauit, Et cum ei bastam excusasset, vi rapuit hominem cum armis, Et tacentis collum calcavit, strioque gladio ipfus, quo cinctus erat, armatum interemit.* QVAM OB REM ALEXANDER ODIO ILLVM HABVIT: QVOD CVM DIOXIPPVS ANIMADVERTERET, TRISTITIA CONFECTVS: EXSPIRAVIT. Verba haec ultima de odio Alexandri Et de morte Dioxiippi non pertinent ad exemplum, qua exemplum, nec conferunt aliud ad illustrationem facti: E. sunt inutilia.

### §. XLII.

Exempla eam ob caussam illustrant, quia habent similitudinem cum materia, de qua agitur. Quo maior est similitudo, eo pulchriora sunt exempla. Cum itaque orator utatur exemplis pulchris: sequitur, illum nullam omittere circumstantiam quae cum materia substr. habet similitudinem. \*

e. g.

e. g. *Etiam gentiles temperantiae necessitatem agnouerunt. Exstat de illo exemplum Philippi, qui, posteaquam viscerat Atheniensis, ea fuit animi moderatione, ut puer cuidam illud munus delegauerit, ut ipsi quotidie manne illa verba recitaret, Philippe, homo es! NEQUE IPSE PRODIBAT, NEQVE QVEMQVAM AD SEMET INTROMITTI PERMITTEBAT, ANTE QVAM IPSI PVER TER ACCLAMASSET; PHILIPPE, TV ES HOMO! ne forte, bac sententia, si obliuisceretur, rebus secundis arrogans atque fafuoſus fieret. v. AELIAN. V. H. L. VIII. C. XV. verba illa posteriora, quod Philippus non e domo fuerit egressus, nec semet adiri permisit, nisi ante audierit illa verba, faciunt ad maiorem exempli similitudinem, ob eamque cauſam non sunt omittenda; probant enim Philippi amorem temperantiae.*

## §. XLIII.

Liceat hic in fine proferre quaedam specialiora. Operae pretium erit disquirere, an orator saecularis possit vti exemplis biblicis, & orator clericus exemplis ex paganorum historia desumptis?

## §. XLIV.

Quod attinet ad I. quaeſit., euictum est & omnibus perspectum, exempla biblica esse indubia fideque dignissima. Cum itaque quilibet orator exemplis vtatur indubiis: patet, etiam oratorem saecularem vti, si fieri potest, in oratione praesertim exemplis biblicis.

## §. XLV.

Orator clericus auditores saepe dogmatis fidei conuincere studet. Exempla ex Historia paganorum desumpta auditores a dogmate fidei eiusque consideratione abducunt. Impediunt igitur conuictionem

& ad sensum. Cum vero orator ad sensum pro scopo habeat ; vitat sacri ordinis orator exempla ex historia paganorum desunta.

NB. Haece vero Reg. non est vniuersalis, ita, vt nulla plane exempla profana possint in suggestu adferri. Potest enim interdum accidere, vt talia exempla necessario requirantur. E.g. si orator clericus vult probare, hoc vel illud Christianorum dogma & sapientes quosdam paganos non ignorasse ; vel si ad eo magis incitandos auditores dicit, & paganos hoc vel illud laude dignum fecisse, etiam si fuerint a Relig. Christ. alieni : tunc omnino ethnicorum exempla producere potest. Sed quoniam rari sunt eiusmodi causas, etiam rara sunt eiusmodi exempla.



COROL-

## COROLLARIA.

- I. קְרַבָּה significat redimere substitutione lytri.
- II. Dagesch forte litteris gutturalibus & ר non facile imprimitur.
- III. In dubio est, quis primus fuerit Graecorum Orator.
- IV. Furtum est contra Ius naturale.
- V. Aér comprimi potest.
- VI. Opposita sunt, quorum unum involvit negationem alterius.
- VII. Ideae arbitrariae admodum sunt utiles.
- VIII. Illa loquendi formula : εἰς διῶνας τῶν διωνῶν, non facile in sacrīs litterīs longum tantum temporis spatium, sed vera & absoluta aeternitas designatur.
- IX. Druides olim in Gallia inter bellantes erant arbitri, ac saepe iam acie congreguros diremerunt.

PRAENOBILISSIMO ET PRAESTANTISSIMO  
RESPONDENTI  
AMICO SVO LONGE AESTVMATISSIMO  
S. D. P.  
P R A E S E S.

*Tanta mibi tecum ab initio statim TVI adventus  
vsque hunc in diem fuit amicitia, vt bacce differ-  
tatione Respondentis spartam TIBI committere non  
dubitauerim. Noui ego eximias ingenii TVI do-  
tes. Noui TVAM variis mibi speciminibus proba-  
tam eruditionem atque doctrinam. TE itaque pro-  
ximo conflictu omnibus ex voto satisfacurum esse,  
confido. Ego hic TIBI publice futuram gratulor  
victoriam, ac simul, quod oblatum munus in TE  
fuscipere non recusaueris, debitas TIBI persoluo gra-  
tias. DEVIS T. O. M. porro TIBI adsit sua gra-  
tia, omnesque TVOS conatus secundet, vt Ecclesia  
aeque ac Respublica litteraria fructus aliquando ex  
TE capere possit uberrimos. Dabam in Iulia Caro-  
linæ d. XXI. Apr. MDCCXLVII.*

AB 153 258

ULB Halle  
003 137 260


3



56.

12





DISQVISITIO  
DE  
**E X E M P L I S**  
IN  
**O R A T I O N E,**  
QVAM  
AVXILIANTE DEO  
BENEVOLO INCLYTI ORDINIS PHILOSOPHICI  
IN ILLUSTRI  
ACADEMIA IVLIA CAROLINA  
CONSEN SV,  
D. XXII APRILIS MDCCXLVII.  
IN IVLEO MAIORI  
PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI SUBMITTIT  
PRAESES  
**M. FRID. ANDR. WALHERVS**  
MOENO-FRANCOFVRTANVS  
RESPONDENTE  
**CAROLO GOTTHARDO BERNEWITZ**  
CVRONO  
S. S. THEOL. CVLT.  
—  
HELMSTAPII TYPIS BRIMBORNIANIS.